

redeat. Quibus acceptis mandatis legatus, tametsi parum
 spēi aleret rem eum exitum habituram tam exiguo copia-
 rum numero (cataphracti enim equites amplius quater-
 centis, milites amplius quatuor millibus non erant) id-
 que ipsum Senatui rescripsit; tamen accitis quampluri-
 mis e vicinis locis operibus, & tormentis Patavio afferri
 imperatis, se ad iter comparabat. De maritimis autem
 rebus ut ratio haberetur, impensisque reipublicæ modus
 fieret, Senatusconsultum factum est, ut Maurus classis in
 Pado flumine præfectus privatorum hominum naviculas,
 quibus non magnopere indigebat, missas ficeret, triremes-
 que quas habebat leves retineret, Hieronymusque Conta-
 renus classis in mari Supero legatus, qui Genua sæpius
 tentata, quod ab Gallis hostibus largiter erat communi-
 ta, nihil profecerat, ut Julii missu Corcyram se recipie-
 ret, retentisque apud se quatuor quas vellet triremibus,
 reliquas ad urbem redire permitteret.

Interim ab Julii reique publicæ exercitu Saxolum in Mu-
 tinensi agro ad Setiam flumen castellum arce atque opere
 communatum tormentis positis, cum a quatercentis pro-
 pugnatoribus Gallis defenderetur, ardore militum per mu-
 ros irrumpentium celeriter est captum. Joannes etiam Del-
 phinus Feltriae magistratus in magnam hostium manum
 eum Alpium tractum depopulantem impetu acriter facto,
 majorem eorum partem cecidit, reliquos omnes fugavit:
 specusque illud montanum, de quo antea dictum est,
 quod Covolum appellant, compulsis timore ad ditionem
 iis, qui in illo erant, recepit. Qua intellecta re, ut ci-
 vitati optime de republica meritæ, omnia perpeßæ ab ho-
 stibus damna, patres grati essent, omnium tributorum im-
 munitas, ea pecunia excepta, quæ ab illa in Principis fa-
 larium quotannis ad urbem mittitur, municipio Feltrino-
 rum est ab Senatu dono data. Ab Joanne quoque Vitu-
 rio in Carnis hostes quatercenti e Goritia egressi, Son-
 tiuumque flumen transgressi omnia valentes, ita cæsi fuga-
 tique sunt, ut eorum plurimi timore se in flumen præci-
 pitaverint. Ea in re Aloisii Porti Vicetini equitum levio-

Cavolum
Venetiis re-
cipitur.

rum